



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XLI. De præfinitione nostrorum actuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



# DISPUTATIO XLI.

## De Præfinitione nostrorum actuum.

**D**ISPUTATIONE vigesima quintâ de animâ dixi posse Deum actus nostros liberos, salvâ eorum libertate præfinit. Disputatione etiam præcedente asseruimus Deum homines & Angelos non nisi ex operibus, seu prævisis eorum meritis, ad gloriam prædestinare. Cùm ergo prædestinatio, seu electio ad gloriam sit certa, & operibus tanquam fundamento innitatur, querimus, utrùm Deus opera nostra prædesinat, seu aliquid certò circa eorum futuritionem peculiariter statuât.

### SECTIO PRIMA.

#### Vtrùm Deus de facto actus nostros prædesinat.

I.  
Prima sententia est affirmatiua.



PRIMA sententia docet Deum actus omnes bonos supernaturales Prædestinatorum decernere in particulari, & quoad omnes circumstantias: ita Suarez hic, lib. 3. de Prædestinatione, cap. 5. & decimo: Granado 1. p. tract. 5. Disp. 5. Arrubal hic, Disp. 67. cap. 4. Tannerus 1. p. Disp. 3. q. 5. dub. 6. num. 9. ubi plurimos citat ex antiquioribus.

II.  
Secunda sententia est negatiua.

Secunda sententia è contrâ asserit, ante collationem actualem mediorum, Deum non intendere efficaciter, & consequenter hoc sensu actus nostros non prædesinare: ita Vasquez hic, Disp. 89. cap. 10. & Disp. 99. cap. 3. Herice hic, Disp. 23. cap. 9. Lessius, Alarcon & alii.

III.  
Dupliciter sumitur præfinitio, immediatè, & mediatè.

Notandum præfinitionem dupliciter sumi, immediatè & mediatè. Immediatè præfinitio illa est, quæ ad actum præfinitum in se tendit, estque actus voluntatis, quo Deus decernit ad operationem aliquam creatam immediatè concurrere. Præfinitio mediata illa est, qua Deus actum aliquem creatum, non in se, sed in illius causâ prædesinat. Sic quando dat auxilium congruum, non intendit semper efficaciter, ut actus ad quem hoc auxilium incitat & inclinât, producat: Deus enim, etiam dato auxilio, potest ad actum illum simpliciter non concurrere; quod non posset, si illum efficaciter & immediatè præfinitisset.

IV.  
Præfinitio antecedens, & concomitans.

Notandum secundo, præfinitionem etiam immediatam esse duplicem, concomitantem & antecedentem. Præfinitio concomitans nihil aliud est, quàm decretum, quod ab æterno habuit Deus, ad actus omnes nostros, ubi voluntas creata operari voluerit, unâ nobiscum concurrenti. Hoc tamen decretum non antecedit nostram operationem, sed infert concursum tantummodo simultaneum, sicque tempore, seu duratione, utpote quod extitit ab æterno, est actibus nostris prius, non naturâ. Præfinitio verò antecedens infert infallibiliter effectum, ut postea videbimus.

V.  
Deus concomitantè actus nostros præfinit.

Dico primò: Deus actus omnes nostros concomitantè præfinit. Ratio est clara; præfinitio namque concomitans aliud nihil est, ut proximè

diximus, quàm voluntas quâ Deus ab æterno voluit nobiscum ad actus omnes nostros simultaneè concurrere: hanc autem voluntatem habet Deus, sine eâ namque nihil omnino possemus agere, ut Theologi passim & Philosophi docent, & Disp. 28. Physicorum ostendi contrâ Durandum, idemque Disp. 29. Physic. probavi contrâ P. Dolam, qui Durandi sententiam defendit.

Dico secundo: Deus actus nostros bonos, etiam antecedenter præfinit mediatè, seu in causâ. Hæc etiam conclusio videtur clara; præfinitio enim actus in causâ, ut num. 3. dictum est, nihil aliud dicit, quàm dare auxilia congrua, per quæ actus boni eliciuntur: cùm ergo certum sit, nullum actum bonum supernaturalem, sine auxilio congruo, seu gratiâ elici, certum similiter est, Deum actus nostros bonos mediatè, seu in causâ prædesinare.

Dico tertio: Deus actus bonos, etiam Prædestinatorum, immediatè, & in se, ut plurimum saltem non prædesinat: ita Auctores secundæ sententiæ supra num. 2. relati. Ratio est: in sensu enim composito huiusmodi præfinitionis de perseverantiâ finali, homines certissimè salutem consequuntur, ita ut si Petrus exempli causâ, non correspondeat uni vocationi, debeat ei Deus aliam & aliam dare, donec consentiat, & certissimum est eum tandem consenturum, & salutem consecuturum: sed nullum est fundamentum talem in Deo voluntatem statuendi, imò contrarium sæpius nobis in Scripturâ traditur, Deum scilicet non absolute velle ut habeamus opera, & finalem perseverantiam, sed nisi bonis inspirationibus ab eo nobis immixtis respondeamus, fore ut salutem amittamus, & æternum damnemur. Sic 2. Petri 1. vers. 10. dicitur:

Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, seu, ut vox græca sonat, fixam & firmam: cùm tamen, si Deus nostras omnes actiones præfinit, certissima sit, & maxime fixa & firma, nec est cur timeant prædestinati, ne finaliter non perseverent, & beatitudinem amittant. Sic Apocal. 3. v. 11. scribitur: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: & alia passim huiusmodi locutiones in sacris literis reperuntur, ut ad Rom. 11. v. 22. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui exciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Quæ tamen comminationes, inanes essent, si Deus opera nostra bona, & finalem perseverantiam præfinit.

VI.  
Deus actus nostros bonos immediatè præfinit antecedenter.

VII.  
Deus actus bonos præfinit immediatè non prædesinat.

Ex Scripturâ ostenditur Deum actus nostros bonos non prædesinare.



SECTIO SECUNDA.

Argumenta contententia Deum actus nostros bonos prædefiniere.

præfinitisset. Videatur Vasquez hic, Disp. 89. cap. 10. num. 88. ubi hoc optinè declarat.

VIII. Dico quartò : hinc à fortiori sequitur Deum non prædefinire ullum actum malum, sed nec prædefinire posse ; quicquid dicant Thomistæ aliqui ; ut Navarrete, Bannez, Alvarez, & alii. Ratio est : qui enim actum aliquem præfinit, specialiter eum intendit, sed hoc in Deo respectu actus peccati est impossibile, utpote quem Deus ob turpitudinem odit & prohibet, sicque intendere eum, & peculiariter velle, nullo modo potest.

IX. Respondent, non posse quidem Deum peculiariter velle & præfinire peccatum quàm malum, & ut turpitudinem in se involvit, sed solum ut talis entitas est. Sed contrà : qui enim specialiter intendit, & movet ad actum in iis circumstantiis, in quibus non potest non habere malitiam ; est causa cur alter ruat, cum, entitate illà hic & nunc posità, non possit non peccare : hoc autem quis non videt turpe esse, & Deo indignum ? Unde dicit Sanctus Jacobus, Deum neminem tentare, ergo nec movet ad entitatem peccati : hoc enim secundum eundem Apostolum est tentare, cum secundum ipsum concupiscentia tentet, quæ tamen solum movet ad entitatem illius actus.

X. Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. can. 6. contrà Hæreticos definit Deum opera mala per se non operari, id est nec ipsam eorum entitatem : nam neque Hæretici dicebant Deum velle peccata ut peccata, hoc enim expressè negat Beza, ut videre est apud Bellarminum lib. 2. de amissione gratiæ, cap. tertio. Idem etiam negat Calvinus & alii. Imò, ut docet ipse Alvarez, nemo, ne quidem diabolus intendit peccatum formaliter ut malum est. Deinde quomodo Deus hujuscemodi actiones prohibere potest, si eas præfinit, & speciali volitione illas intendat ?

XI. Loca Scripturæ & Patrum, quibus dicitur interdum Deus obdurare corda hominum, miscere spiritum erroris, tradere in reprobum sensum, homines aliquos ad malas actiones eligere, ut Assur ad affligendos Israëlitas &c. hæc, inquam, & similia intelligi debent permissivè, & subrahendo uberem illam gratiam, & præcipuè congruam, quæ subtracta, videt Deus fore, ut in talia flagitia prolabantur.

XII. Aliquando etiam ita illos restringit, ut unum tantum iis peccati genus permittat, cum ergo proni sint ad flagitia, illud eligunt ; & hoc sensu dicitur Deus eos eligere ad malum. Interdum etiam aliquid facit Deus, ex quo occasionem ex se sumunt homines peccandi. Sic lato quodam modo à quibusdam ex Sanctis Patribus dicitur subinde Judas electus ad effundendum Sanguinem Christi, quia nimirum electus fuit ad Apostolatam, ex quo videbat Deus fore, ut occasionem sumeret prodendi Christum. Videatur Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 11. & sequentibus, Suarez lib. 2. de Auxiliis, qui his & aliis Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimoniis ab Hæreticis etiam ad probandum Deum esse causam peccati afferri solitis fusè respondet.

OBJICIUNTUR inprimis variatum sacre Scripturæ, tum Sanctorum Patrum testimonia, quibus dicitur Deus facere ut in præceptis ejus ambulemus, facere ut faciamus &c. Promittit item Deus fore, ut homines credant, bene operentur, salventur &c. hæc autem promissiones sunt efficaces, ergo à voluntate aliquâ efficace Dei procedunt. Quare S. Augustinus de correptione & gratiâ, cap. 14. Deo, inquit, volente salvam facere, nullam humanam resistit arbitrium. Ibidem etiam docet Deum habere humanorum cordium, quo placet, inclinandum, omnipotentissimam potestatem. Quæ, & alia his similia passim, tum apud ipsum, tum alios Patres reperiuntur : hæc autem denotant intentionem aliquam absolutam esse in Deo, quæ isthæc omnia fieri decernit.

Respondetur voluntatem, quæ hæc intendit Deum, non esse absolutam, sed in his omnibus intelligi tacitam conditionem, nempe si homines ex suâ parte non desint, sed cooperentur. Imò frequenter, quando hujusmodi locutiones in Scripturâ proponuntur, adjicitur expressè conditio, ut scilicet præcedente vidimus, num. 7. & Apocal. 3. v. 20. Ecce sto ad ostium, & pulso : si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum &c.

Paucissimæ itaque promissiones hominibus in divinis literis factæ, sunt absolutæ, ut Scripturæ interpretes passim observant. Sic Marci 16. v. 16. dicit Christus : Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit : intelligitur, si mandata servaverit, & in bonis operibus ad finem usque vitæ sese exercuerit. Multi enim fidem Christi amplectuntur, & baptizantur, qui tamen non consequuntur salutem. Sic in veteri testamento Deus Abrahamo promittit, se ejus femini daturum terram promissionis. Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo, & femini tuo usque in sempiternum, & tamen omnem illam terram iis non dedit, sed illius tantum partem, ut testatur S. Hieronymus epist. 129. ubi ait amplam iis & spatiosam terram esse promissam, datam verò angustam. Cujus rationem ibidem addit S. Doctor, quod scilicet mandata Dei non observassent, & in abominandum idololatriæ peccatum incidissent.

Hæc ergo & similes promissiones, non erant absolutæ, quantumvis absolutum sonent, sed datæ sub conditione, esto conditio non fuerit expressa, cum enim ad literam, & prout sonabant, non sint impletæ, dicendum necessariò est, non fuisse eas factas absolutè, alioquin, ut sonabant, impleri exactissimè debebant, cum in promissione divinâ, jota unum, aut unus apex nequeat præterire. Hoc autem in iis promissionibus reperitur, quæ de rebus fiunt à nostrâ libertate pendentibus, in iis enim Deus nostram cooperationem requirit : quod de promissionibus vitæ æternæ docet Concilium Tridentinum sess. 6. can. 20. Quas ait non esse absolutas, sed sub conditione observationis mandatorum datas, esto, ut numero præcedente vidimus, quoad sonum verborum sensum præ se ferant absolutum.

Ad illud verò quod objiciebatur, Deum facere ut faciamus, habere in manu suâ corda hominum, &c. hæc, inquam, non intelliguntur de præfinitione, sed

I. Variæ Scripturæ, & Patrum testimonio præfinitione.

II. Hæc Dei Promissiones, non sunt absolutæ, sed conditionatæ.

III. Paucissimæ promissiones in Scripturâ factæ, sunt absolutæ.

Genes. c. 13 v. 15.

IV. Ratio quare hujusmodi promissiones cessando sunt, non absolutæ, sed conditionatæ.

V. Quo sensu Deus facit ut faciamus, sed

XII. Quâ ratione dicitur interdum Deus eligere aliquem ad malum.

XI. Quo sensu dicitur Deus obdurare corda, tradere in reprobum sensum, &c.

X. Deus mala per se non operatur.

IX. Peccatum, etiam quâ talis entitas est, præfiniri nequit à Deo.

VIII. Deus actum malum, nec prædefinit, nec prædefinitur potest.



*habet in manu suâ corda hominum, &c.*

sed quia, cum Deus per scientiam conditionatam omnes omnino circumstantias perfectissimè noverit, & in quibus homo sit consensurus, potest semper dare auxilium congruum, seu illud cui homo infallibiliter præbebit consensum, sicque habet hoc sensu in manu suâ corda hominum; habet quippe media, quibus possit ea quocunque velit inflectere, nec ullus impedire potest, quo minus hoc præstet, aut qui huic ejus voluntati resistat, cum plena penes ipsum sit horam mediorem seu auxiliorum collatio, idque in iis circumstantiis, in quibus videt infallibiliter habitura effectum.

**VI.**  
*Difficilis loci cuiusdam S. Augustini explicatio.*

Et per hæc patet ad ea, quæ supra, numero primo ex S. Augustino sunt allata. Difficilis est, quod ex eodem Sancto Doctore affertur de bono perseverantia, cap. 14. ubi de Tyriis & Sidoniis loquens, sic habet: *Quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum*: ergo juxta S. Augustinum, ideo non dedit iis Deus media, quibus fidem consequerentur, quia efficaciter antea eam non intenderat. Probabiliter tamen explicari potest hic locus S. Augustini, non de intentione finis, & electione mediorem, sed de tempore & aternitate; quasi diceret, ideo in tempore iis non fuisse concessa signa illa externa, & alia media efficacia ad fidem consequendam, quia Deus ab aeterno illa iis concedere non decreverat: & hoc sensu non erat eis datum ut crederent, efficaciter nimirum, quamvis semper habuerint media ad hoc sufficientia.

SECTIO TERTIA.

*Solvuntur alia argumenta pro præfinitione nostrorum actuum. Vbi de speciali Dei amore erga electos.*

**I.**  
*Obj. Media sunt propter finem.*

**OBJICITUR** secundò: media sunt propter finem, ergo media efficacia propter finem efficaciter intentum. Confirmatur: nisi enim dicitur Deus hoc modo actus bonos prædestinatorum præfinire, explicari nequit, in quo singularis ille Dei erga electos amor consistat.

**II.**  
*Ostenditur, ex instantione finis inefficace posse dari media efficacia.*

Ad argumentum simul & confirmationem, respondetur, cum ex voluntate conditionatâ salvandi omnes, quæ communis est prædestinatis & reprobis, dederit Deus Christum, utpote qui non pro prædestinatis tantum missus est, sed etiam pro reprobis, & ut omnes homines salvi fierent, ut supra ostensum est Disp. 38. cum inquam, ex voluntate illâ conditionata dederit Deus Christum, nullum est donum tam eximium, quod ab eadem voluntate viâ intentionis procedere nequeat, dicente Apostolo ad Roman. 8. v. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quasi diceret, ex illo amore donat, quicquid donat. Sicut ergo donum omnium præstantissimum, nempe Incarnatio, potuit ex illâ voluntate provenire, à fortiori auxilium congruum, & gratia quævis efficax ex eadem poterit procedere; nec est cur quicquam causam efficaciorum desideret, cum sit efficax respectu longè majoris boni.

**III.**  
*In quo specialis Dei in electos amor consistat.*

Ex illâ ergo voluntate, & nullâ aliâ antecedente, dat Deus quibusdam auxilia congrua & efficacia, in illis scilicet circumstantiis gratias suas distribuens, in quibus novit eas habituras effectum, & insuper peculiariter complacens quòd sint effectum habituræ: & in hoc consistit specialis Dei amor: & misericordia erga electos: gratia etiam sic collata fertur rationem specialis beneficii, quodque infert & requirit peculiarem aliquam complacentiam & effectum; simul cum cognitione majoris efficaciam, & hoc sensu vult Deus gratiam illam ut efficacem: id est advertens illam esse efficacem, seu habituram affectum, estque majus beneficium, non quidem physicè, cum in entitate physicâ possit hæc gratia esse æqualis tantum cum non efficace, imò aliquando minor.

*Qua gratia conatur specialiter beneficium.*

**IV.**  
*Quo sensu gratia efficax sit magis benevolentiam suam scienti.*

Est itaque gratia efficax majus beneficium moraliter, quia nimirum in morali estimatione hominum prudentum, præstantior magisque æstimabilis censetur gratia, quando effectura est ut quis consentiat, quam quando id non est effectura. Complacet ergo Deus in illo auxilio videns illius excellentiam moralem præ altero, quod non est elicitorum consensum, & præterea cooperatur illi gaudente de consensu ex illo fecuturo. Eligendo tamen, seu præfiniendo, id est efficaciter intendendo dare hoc medium, non propterea præfinit consensum inde secuturum, licet videat fore ut consensum ex illo sequatur.

**V.**  
*Quod Deus interdum quibusdam bonis eorum opera facere velit, non erga illum præfinitur.*

Objicitur tertio: Deus quibusdam salutem interdum, & finalem perseverantiam revelat, ex quâ revelatione occasione ipsi perseverandi, & salutem consequendi accipiunt, ergo Deus hanc eorum perseverantiam præfinit. Respondetur primo, transeat totum, nihil enim hoc facit contra nostram conclusionem supra sectione primâ, num. 7. positam, ubi dixi Deum ut plurimum actus bonos prædestinatorum non præfinire, quamvis interdum fortassis in particulari aliquo casu id præstet.

Respondetur tamen secundò, ad perseverantiam, vel alterius cujusunque rei revelationem nil opus esse præfinitione, sed sufficit rem illam à Deo certò sciri per scientiam conditionatam. Sicut 1. Reg. 23. v. 11. revelavit Deus Davidi, si illam in maneret in civitate Ceilâ, fore ut Saul eò descenderet, & ut Ceilitæ cum Sauli traderent, cum tamen Deus illum Saulis defensum, & Ceilitarum prodicionem nec præfinivisset, nec præfinire potuisset, cum præfinire nequeat peccatum, ut supra, sect. 1. num. 8. ostendi.

**VII.**  
*Ex perseverantia voluntatis alicui occasione sumitur potest perseverandi.*

Ad id verò, quod ultimo loco in objectione additur, quosdam ex perseverantiâ suâ illis revelatâ occasionem sumere perseverandi: quamvis ad præsentem quæstionem non omnino pertineat (cum sive Deus actus nostros bonos præfinit, sive non, par quoad hoc sit difficultas) dico nihilominus, etsi ex revelatione sumere quis occasionem possit ad virtutem majore cum fervore, & alacritate animi, ad finem usque vitæ exercendam, & hæc perseverantiâ circumstantia inde provenire queat, perseverantia tamen quoad substantiam à revelatione pendere non potest, sic enim daretur mutua prioritas, nam & revelatio à perseverantiâ, & perseverantia à revelatione penderet. Unde si hæc quoque alacritas fuisset alicui à Deo prædicta, sicque omnes circumstantiæ revelatæ, perseverantia non solum quoad substantiam, sed nec quoad alacritatem, aut ullam omnino circumstantiam à revelatione dependere posset.

**VIII.**  
*Objicitur, modum providentiæ præfinitur esse perseverantiam.*

Objicitur quarto: hic modus providentiæ est perfectior, si nimirum Deus actus nostros, & perseverantiam ad finem vitæ in virtutis exercitatione prædefiniat. Respondetur, si per perfectiorem providentiâ modum intelligatur, fore ut certius quis consequatur salutem, si actus ejus boni præfinitur, quam si Deus ex scientiâ conditionatâ det ei